



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Concilia Provincialia Mediolanensis Sex

Borromeo, Carlo

Venetiis, 1602

De Iudæis, & infidelibus conuersis, Neophytisue Paulus PP. III.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62072](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62072)

De Iudæis, & infidelibus conuersis, Neophytis uè
Paulus PP. III.



Ad perpetuam rei memoriam. Cupientes Iudæos, & alios infideles quoslibet ad fidem catholicam conuerti, & prætextu bonorum per eos antea posessorum ob eandem fidem non distrahi, Motu proprio ex certa nostra scientia, auctoritate Apostolica tenore præsentium hac in posterum ualitura constitutione sancimus, quòd cuicumq; eorùdem Iudæorum, & infidelium ad dictam sedem conuerti uolenti, etiam si in patria potestate constitutus fuerit, bona sua quæcunque tã mobilia, quàm immobilia, intacta, & illæsa permaneant, ita ut etiam filij familias, & in patria potestate, (ut præfertur) constituti, legitima, & quacunque alia portione bonorum patrimonialium aut maternorum eis de iure, seu successione bonorum eis aliàs debitorum per eorum parentes fraudari, aut priuari non possint, neque debeant, sed eis integrè, etiam si contra uoluntatem parentum suorum ad fidem ipsam conuersi fuerint, etiam eorum parentibus uiuentibus debeantur. Et si bona ipsa ex usura, aut illicito quæstu fuerint acquisita, & nota sint personæ quibus eorum fuerit de iure facienda restitutio (quia non dimittitur peccatum, nisi restituatur male ablatum) illa eisdem personis omnino restituantur, personis uero non extantibus prædictis, quia bona ipsa essent per manus ecclesiæ in pios usus conuertenda, bona huiusmodi eisdem Iudæis, & alijs infidelibus in fauorem suscepti baptismatis, tanquam in pium usum liberè concedimus, eaque apud ipsos sic conuersos Iudæos, & alios infideles remanere decernimus: Interdicens sub diuinæ anathematis pœna quibusuis tam ecclesiasticis, quàm secularibus personis, ne ullam super bonis huiusmodi quouis quæsito colore molestiam inferant, aut inferri patiantur, sed magnum se fecisse lucrum existiment, dum tales Christo lucrati fuerint. Et quoniam, ut scriptum est, qui habuerit substantiam mundi huius, & uiderit fratrem suum necessitatem habere, & clauerit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in ipso, si ipsi cõuersionis tempore inopes, aut indigentes fuerint, omnes tam ecclesiasticos, quàm seculares per uiscera misericordiæ Dei nostri exhortamur, ut ipsis cõuersis manus porrigant adiutrices: ipsi quoque diocæsani non solùm Christianos ad subuentionem ipsorum exhortentur, sed etiam tam
de

de redditibus ecclesiarum, prout potuerunt, quam de ijs quæ ad panpe-
rem usus per ipsos conuertendos deuoluuntur, huiusmodi neophitos
sustentare non negligent, ipsosque à detractionibus, & contumelijs
paterna affectione defendât. Et quoniam per gratiam baptismi ciues
sanctorum, & domestici Dei efficiuntur, longque dignius exilit rege-
nerati spiritu, quam nasci carne eadē constitutione itauimus, ut ciui-
tatum, & locorum, in quibus sancto baptismate pro tempore regene-
rabuntur uerè ciues sint, & priuilegijs, ac libertatibus, & immunitatib.
quæ alij rōne natiuitatis, & originis duntaxat consequuntur, gaudeât.
Curent insuper Sacerdotes baptizantes, & alij de sacro fonte eos susci-
pietes, tam ante baptismū, quam post, illos in articulis fidei, ac legis no-
uæ præceptis, catholicæq; ecclesiæ ritibus, diligenter instruire, & tam,
ipsi, quam diœcesani operam debet, nec cum alijs Iudejs, seu infideli-
bus saltem per longum tempus conuersentur, ne sicut quandoq; cōti-
git ab infirmitate curatis modica occasio ad pristinam perditionem
reciduos afficiat. Et quoniā, experientia teste, compertū est mutuum
ipsorum neophitorum inter se conuersationē ipsos in fide nostra fra-
giliores reddere, ac saluti ipsorum plurimum officere, hortamur loco-
rum Ordinarios, ut quantum pro incremento fidei uiderint expedi-
re, curent, & studeant neophitos ipsos eum originarijs Christianis ma-
trimonio copulare, & prohibeant eisdem sub grauib; pœnis, ne
mortuos more Iudæorum sepeliant, aut Sabbata, aliasque solennita-
tes, & antiquæ sectæ ritus quoquomodo obseruent, sed & ecclesias, &
prædicationes, prout alij catholici frequentent, & in omnibus Chri-
stianorum moribus se conformes reddant. Contemptores autem
prædictorum per sacerdotes, in quorum parochijs degent, aut alios,
ad quos de iure, uel antiqua consuetudine de talibus inquirere spe-
ctat, aut etiam per alios quoscunque diœcesanis, seu inquisitoribus hæ-
reticæ prauitatis deferant, & inuocato, si opus fuerit, auxilio brachij
secularis, per eos taliter puniantur, quod alijs transeat in exemplum.
Et insuper de ijs omnibus in prouincialibus & synodalibus Conci-
lijs diligens fiat inquisitio, & tam circa Episcopos, & sacerdotes in
præmissis negligentes, quam ipsos neophytos, & infideles prædictos
contemptores opportunum adhibeatur remedium. Si quis autem cu-
iuscunque gradus, uel præminentię fuerit, huiusmodi neophitos, ne
ad obseruationem ritus Christiani, & aliorum præmissorum compell-
hantur, fauerit, aut defenderit, pœnas contra fautores hereticorum
promulgatas, iplo facto incurrat. Neophiti uerò si se corrigere post
monitionem canonicam neglexerint, & ad uomitum indaizantes re-
dire comperti sint, contra eos, tanquam perfidos hæreticos per Ord-
narios locorum secundum sacrorum canonum instituta procedatur.

Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, a quibusuis priuilegijs, indultis, & litteris etiam Apostolicis, seu etiam Regijs, uel Imperialibus eisdem Iudejs, uel infidelibus quomodolibet concessis, quæ quatenus in detrimentum catholicæ fidei; aut nominis Christiani, seu aliquorum ex præmissis quomodolibet uergerent, ad effectum præsentium cassamus, & irritamus, ac cassa, & irrita decernimus, alijs decretis, & constitutionibus Apostolicis, quæ super præmissis sunt condita in suo robore duraturis. Et ut huiusmodi sanctæ constitutionis ingens memoria habeatur, & ne quiquam ipsius ignorantiam prætereundere possit, illa per singulas cathedrales, & collegiatas ecclesias, aliaque pia loca, in quibus uerborum erit fidelium concursus semel in anno ad minus infra diuina, publicari uolumus, & decernimus. Et quia difficile foret præsentibus ad singula quæque loca deferri, uolumus & etiam declaramus, quod earundem præsentium transumptis, seu copijs etiam impressis, & manu alicuius notarij publici subscriptis, ac sigillo alicuius prælati munitis, eadem prorsus fides adhiberetur ubique si forent exhibite, uel ostense. Dat. Romæ apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die xx. Martij, millesimo quingentesimo quadragesimo secundo, Pontificatus nostri anno octauo.

Bulla Fœl. Re. Pij Papæ Quarti, qua multæ Indulgentiæ,
& priuilegia conceduntur Sodalitati
Nominis Dei.



IVS Episcopus Seruus Seruorum Dei uniuersis Christi fidelibus, præsentibus literas inspecturis, salutem, & Apostolicam benedictionem. Saluatoris, & Apostolicam benedictionem. Saluatoris, & Domini nostri Iesu Christi Dei Patris Unigeniti, qui pro redemptione generis humani de summo Cælorum folio ad huius mundi infima descendere, & carnem nostram ex utero uirgineo assumere, ac post peractum ad nostram instructionem huius uitæ cursum, in cruce pretium exoluere dignatus est, uices licet immeriti gerentes in terris, gregemque Dominicum nostræ curæ diuinitas commissum ad uitam lucis æternæ perducere cupientes, iuxta creditum nobis Apostolicæ seruitutis officium, fideles cunctos quorum merita pro demeritis penitus sunt imparia ad mala euitanda, veraque & solida bona amplexanda, ac altissimi uiam ingrediendum, spiritualibus muneribus, Indulgentijs uidelicet, & peccatorum remissionibus, frequenter inuitamus, ut fideles ipsi per deuotionis sinceritatem, & bonorum operum

operum